

dauci seminis pondo $\frac{1}{2}$ Z, git pondo —, cinnami pondo $\frac{1}{2}$ Z, schoeni pondo $\frac{1}{2}$ Z, croci $\frac{1}{2}$ V, apii seminis p. $\frac{1}{2}$ VI. haec omnia tusa creta melle Attico despumato pondo II Z colliguntur et medicamentum vitro condunt.

CXLVI. Ad tumorem et dolorem vesicae et exulcerationem bene facit 5 aqua, in qua ferrum candens demissum est. hoc ego traxi ab aquis calidis quae sunt in Tuscia ferratae et mirifice remediant vesicae vitia (appellantur itaque vesicariae), quondam Milonis Brochi praetorii, hominis optimi, ad quinquagesimum lapidem.

CXLVII. Ad tumorem et dolorem vesicae et ad eos, qui difficulter urinam reddunt: alterci seminis, apii seminis, malvae seminis, cucumeris edulis seminis purgati, singulorum X p. VI, amygdalorum dulcium purgatorum, nucleorum pineorum purgatorum, singulorum X p. III, opii X p. I, croci X p. I et victoriati; passo contusa consparguntur. datur hoc medicamentum pondere X I ex passi cyathis duobus et aquae totidem. 15

CXLVIII. Ad vesicam et exulceratam: nucleorum amygdalorum victoriati pondus, cucumeris edulis seminis purgati cyathus unus, anesi cyathus, papaveris nigri X p. IIII, croci X p. I, palmae cariotae numero XXX. has macerari oportet in passi sextarium unum atque conterere, his adipere cetera: ex eodem dare nucis iuglandis magnitudine ex passi 20 cyathis tribus.

CXLIX. Ad sanguinem cum dolore per urinam reddentes: aluminis fissi pondo uncia, tragacanthi pondo sextans. tragacanthum ex alumine trito cogitur in pastillos victoriati pondere; hinc viae magnitudine detractum datur ex passi cyathis tribus. 25